



De habitudine inversa inter comprehensionem et extensionem conceptuum

Leopoldus-Eulogius Palacios

Volume 27, Number 1, 1971

URI: <https://id.erudit.org/iderudit/1020205ar>

DOI: <https://doi.org/10.7202/1020205ar>

[See table of contents](#)

Publisher(s)

Laval théologique et philosophique, Université Laval

ISSN

0023-9054 (print)

1703-8804 (digital)

[Explore this journal](#)

Cite this article

Palacios, L.-E. (1971). De habitudine inversa inter comprehensionem et extensionem conceptuum. *Laval théologique et philosophique*, 27(1), 81–87. <https://doi.org/10.7202/1020205ar>

DE HABITUDINE INVERSA INTER COMPREHENSIONEM ET EXTENSIONEM CONCEPTUUM

Leopoldus-Eulogius PALACIOS

Albertus Menne, in libro qui *Einführung in die Logik* inscribitur, operam diligenter dat, ut synthesim quamdam praebeat logices mathematicae et logices quam classicam vocant. Sunt tamen nonnulla quae propositum eius difficilius reddant, praesertim cum non admittantur praerequisita quaedam philosophica, iam ante omnia, non exceptis ipsis operationibus logicis, praelibanda, nisi velis scientiam logices ad purum putumque calculum reducere. Patiaris igitur, inclite lector, me tibi aliquas doctrinae difficultates in his pagellis exponere. At cum ego sim ex eis, qui putent latinum sermonem inter doctos homines communem esse habendum, liceat mihi hanc notulam scripturo latina uti lingua: more veteri servato, qui nunquam excidere debuit!

Albertus Menne principium de relatione inversa comprehensionem inter et extensionem conceptuum doctrinam esse erroneam contendit¹. Cum autem hoc principium mihi semper visum sit undique perfectum, necnon unum ex paucis quae in doctrinis philosophicis exponendis ab auditoribus absque ulla difficultate excipitur, quando auctorem audio, sicuti nunc Albertum Menne, qui eum respuat, auriculas perattente erigo, ut audiam argumenta quibus huiusmodi positio in auctore tanti nominis fulciatur. Primum omnium noscitur hanc positionem non esse ex Minerva ipsius Menneii, sed ex Bolzano mutuata, catholico scriptore prioris saeculi, quem plurimi Edmundus Husserl facit, quia suas favet in logicam ita dictam psychologiam animadversiones².

Tam Bolzanus quam Menneius regulam, iuxta quam comprehensio et extensio conceptus inverso modo se habent, respuendam esse contendunt, quasi verum non sit ad maiorem comprehensionem minorem extensionem, ad minorem autem maiorem convenire. Uterque scriptor nomen adhibet libri praeclari, cui titulus *Logica sive ars cogitandi*, vulgo dicti *Logique de Port-Royal*, utpote libri e quo ea regula

¹ Albert MENNE, *Einführung in die Logik*, (Bern, 1966, p. 26).

² Bernard BOLZANO, *Wissenschaftslehre*, I, § 120 (Schulzbach, 1837, t. I, pp. 569–571).

oriatur. Profecto doctrina illius circa comprehensionem conceptuum et extensionem ansam praebuit vel occasionem dedit ut regula proposita oriretur. Sed falso ea doctrina ad *Logicam sive artem cogitandi* attribuenda est, quia regula iuxta quam ratio contenta in conceptu inverso modo se habet ad eius extensionem ibi desiderares. Nunc autem, praetermissa eius origine, ad ipsam veniamus doctrinam.

In primis, si librum, cui index *Logica sive ars cogitandi*, vulgo dictum *Logique de Port-Royal*, secundum se accipimus, omnibus penitus omissis quae ei attribuuntur, doctrinam de conceptuum extensione et comprehensione inveniemus non sufficienter solum, verum etiam invicte propositam. En ejus rationem, extractam ex capite quarto primae partis, quod de conceptibus vel ideis universalibus diserit :

In his autem ideis universalibus duo sunt, quae magnopere interest rite distinguere, *Comprehensio* scilicet et *Extensio*.

Ideae comprehensionem voco omnia illa attributa quae ita in illa continentur, ut nihil demi possit, quin idea destruat: sic comprehensio ideae trianguli includit extensionem, figuram, tres lineas, tres angulos, horum angulorum aequalitatem cum duobus rectis.

Extensionem voco subiecta, quibus idea convenit, quae etiam dicuntur inferiora termini universalis, qui, ad haec relatus, superior nominatur: sic generica trianguli idea ad omnes diversas triangulorum species sese extendit. Quamvis autem idea generica indistinctim ad omnia subiecta, id est, inferiora, quibus convenit, se extendat, communique nomine illa significet; tamen inter attributa, quae comprehendit, et subiecta, ad quae extenditur, discrimen ex eo est, quod ideam nullo suorum attributorum spoliare possimus, quin destruat, quemadmodum iam dictum est: cum tamen e contra possimus eiusdem extensionem restringere, illam tantum quibusdam subiectorum applicando, non tamen ea propter hoc destruere.

Dupliciter autem haec restrictio extensionis ideae genericae potest contingere. Primo, additione alterius ideae distinctae, et determinatae; sic si genericae trianguli ideae addo, quod habeat angulum rectum, genericam trianguli ideam restringo ad certam trianguli speciem, quae triangulus rectangulus vocatur. Secundo, additione ideae solum indistinctae, et indeterminatae, ut si diceretur, *aliquis triangulus*: quo casu terminus fit particularis, quia iam tantum ad partem subiectorum, quae prius omnia comprehendebat, se extendit, nec tamen pars illa, ad quam restringitur, determinatur³.

Quaecumque in his paragraphis asseruntur a me invicte proposita hactenus existimabantur. Porro nota comprehensionem et extensionem singulas per se considerari, nec inter eas habitudo inversa invocari, sed tantum asseri identitatem conceptus obiectivi absque mutatione manere, etiam si eius extensio restringatur.

Ad hanc restrictionem conficiendam duae viae exhibentur, nempe: vel addere conceptui conceptum alium distinctum et determinatum, vel conceptui apponere conceptum indistinctum et indeterminatum partis (v. gr. « aliquis »). Prima ex his duabus viis magis rei nostrae interest.

³ *Logica sive Ars Cogitandi*, prima pars, cap. VI, ad finem (Post duodecimam gallicam et amstelodanensem editio. Venetiis, 1736, pp. 23-24).

Sed animadvertendum auctores libri, qui *Logica sive ars cogitandi* inscribitur, cum de hac prima via in conceptibus obiectivis restringendis disserunt, nihil omnino dicere de conditione essentiali aut non essentiali differentiarum per quas conceptus generalis coarctatur. Hoc tamen maximi esse momenti in quaestione dilucidanda reor. Idcirco observandum est duplex genus notarum seu attributorum quae conceptum generalem coarctandum inserviunt: alterum attributorum vel notarum essentialium, alterum attributorum vel notarum accidentalium. Hoc ad rem, de qua nunc agimus, ad explicandam scilicet regulam reciprocae habitudinis inter comprehensionem conceptuum et eorum extensionem, maxime pertinere censeo, ita ut ab hoc acceptionem aut reiectionem hujus regulae pendeat.

Attributa vel notae essentialia quae possunt addi conceptui generali sunt differentiae necessariae contrahentes genus et consequenter constituentes cum eo aliquam speciem ex qua tales notae non adimi possunt quin species pereat. Exemplum a *Logica sive arte cogitandi* excogitatum, quod supra tradidi, hanc posteriorem indolem induit: « rectus » enim est respectu generis « anguli » differentia essentialis, quae a praedicto genere speciem « angulum rectum » segregat, et eam ab « angulo acuto » et ab « angulo obtuso » differre facit.

Nunc vero, etiam si canon habitudinis inversae inter comprehensionem et extensionem in *Logica sive arte cogitandi* non disserte exponatur, tamen, ex iam dictis patet hunc canon validum esse quoad relationes inter genus et species. Nam species minus habet extensionis quam genus, et genus magis quam species, siquidem genus non tantum hanc speciem complectitur, sed alias huic oppositas: omne genus est potentialitas ad multa ut contraria. Et vicissim notandum speciem, etsi minoris sit extensionis quam genus, maiorem praebere comprehensionem, quia non claudit tantum notas genericas, quae inveniuntur in definitione speciei, verum etiam notas suas specificas. Quamobrem nullum video impedimentum quominus principium de relatione inversa comprehensionem inter et extensionem absolute admittatur.

Illam habitudinem optime exhibet arbor Porphyrii. Percurrentes hujusmodi arborem e genere supremo ad speciem infimam — exempli gratia, e conceptu substantiae ad conceptum hominis — clare percipimus quem ad modum genus in extensione sua coarctatur per differentiarum essentialium additionem, dividendum quidem respectu conceptus superioris, constituentium autem respectu notionis inferioris, ita ut inferior plus semper notarum exhibeat quam superior, dum ad pauciora subiecta se extendit. Id quod clarius luce conspici potest uno intuitu verae imaginis arboris porphyrianae: imaginis, inquam, aspectu magis consueto quam illa hoc in libro a Menneio delineata!

Sed alia est notionis generalis coarctatio per differentias essentialia, alia per differentias accidentales. Essentialia enim differentiae causantur ex principiis generis vel speciei; accidentales vero ex principiis individui, et non nisi ad individua sub universali contenta conveniunt, de iisque possunt praedicari, fortuito tamen. Homo necessario est animal et est rationalis; contingenter vero habet nasum repandum, est festivus aut taciturnus, convivator aut agrestis. Repraesentationes ita

ortae, ex notarum contingentium et individualium coarcevatione, longe absunt a notionibus universalibus de quibus *Logica sive ars cogitandi* disserit; nec ii sunt quidem conceptus universales qui canoni habitudinis inversae comprehensionis et extensionis conveniunt.

Alexander Pfänder, vir clarissimus, in philosophia rationali inter praecipuos nostrae aetatis auctores habendus, iure dicit: « Ad extensionem determinandam alicuius conceptus oportet quippe obiectorum sphaeram ingredi, quae sub quemque conceptum cadunt, sed opus est detineri ad lineam obiectorum individualium, nec terminos obiectorum universalium migrare. Extensio alicuius conceptus ita defixa exit in magnitudinem stabilem et sibi constantem, sicuti *Logica* semper docuit »⁴.

Sed nunc animadvertendum, exempla omnia quibuscum olim Bolzanus, nuper Albertus Menne illum canon conantur evertere, plane ingredi hunc ordinem obiectorum individualium et contingentium, in quo mirum non est principium pure logicum labefactari, principium, inquam, quod tantummodo ad explicandas relationes inter comprehensionem et extensionem notionum universalium est confectum. En exempla:

« Homo qui omnes linguas Europae callet » est repraesentatio quaedam, cui si adderes notam « vivas » excrescit in novam repraesentationem, quae est: « Homo qui omnes linguas vivas Europae callet ». At haec posterior repraesentatio maiorem comprehensionem habet quam superior, quod utique est in propatulo, sed etiam maiorem extensionem, quod est contra principium. Sed ecce iam verba ipsius Alberti Menne: « Cum notam “vivas” addo conceptui “hominis qui omnes linguas Europae callet”, rationem huius conceptus augeo, ita tamen ut nemo dubitare quaeat quin etiam eius extensio augeatur, siquidem post hanc additionem iam homines non quaeruntur qui sermonem calleant latinum, graecum, celticum, gothicum, etc. ».⁵

Ni fallor, minime in hoc exemplo habitudo exhibetur comprehensionis duorum conceptuum, orta ex comparatione generis cum specie ab eo segregata per differentiae alicuius essentialis additionem. Conferre comprehensionem duorum conceptuum, quid aliud est nisi conferre duas definitiones (sumpto termino sensu latiore)? At ut aliquid definiatur oportet id esse incomplexum. Distinctionem complexorum et incomplexorum, conficiendae definitionis gratia, primus Aristoteles in libro *Categoriarum* instituit⁶. Haec conditio incomplexi desideratur in hoc

⁴ Alexander PFÄNDER, *Logik*, P. II, cap. 5 (Tübingen, 1963, p. 149): « Um den Umfang eines Begriffes zu bestimmen, hat man also allerdings auf den Umkreis der *Gegenstände* hinzublicken, die unter den Begriff fallen, aber man hat dabei *Halt* zu machen vor der Schicht der *individuellen* Gegenstände und bei der untersten Schicht der “allgemeinen” Gegenstände zu verweilen. Der so bestimmte Umfang eines Begriffes ist in der Tat eine *konstante Grösse*, wie es die *Logik* immer angenommen hat ».

⁵ Albert MENNE, *Einführung in die Logik*, I (Bern, 1966, p. 26): « Erweitere ich den Begriff: “Mensch, der alle europäischen Sprachen versteht” um das Merkmal “lebend” zu “Mensch, der alle lebenden europäischen Sprachen versteht”, so wird dadurch sicherlich der Umfang grösser, da ja jetzt die Kenntnis des Lateinischen, Griechischen, Keltischen, Gotischen usf. nicht mehr vorausgesetzt wird ».

⁶ ARISTOTELES, *Categoriae*, cap. 2 (1 a 16).

exemplo, quod consurgit ex mera accidentali aggregatione notionis « hominis » et notae alicuius non essentialis, nempe : « omnes sermones Europae callere ».

Tam Bolzanus quam Menneasserunt comprehensionem notionis « hominis qui omnes sermones Europae calleret » minorem esse quam notionis « hominis qui omnes sermones vivos Europae calleret », nec ego ab eis hac in re dissentio. Sed scriptores supra nominati conlationem hanc instituunt ut probent extensionem posterioris conceptus etiam cum comprehensione eius augeri, quod meo quidem iudicio sustineri nequit.

Re autem vera, extensio conceptus generalis exortitur ex notarum non essentialium aggregatione nunquam certa evadit, saltem certitudine logica : experientia rerum singularum opus est, ut noscatur utrum ratio conceptus verificetur necne in rebus singularibus. Haec autem experientia deficiens semper et fluctuans est. Idcirco in scala universalium conceptuum descendere licet usque ad infimam speciem, modo ad limites obiectorum individualium sistamus, nec terminos obiectorum universalium migremus, utpote Alexander Pfänder supra memoratus admonebat. Quod in ipso exemplo allato facile patet. Nescimus utrum « homo qui omnes linguas Europae calleret » minoris extensionis sit repraesentatio quam « homo qui omnes linguas vivas Europae calleret ». Nam responsuro oporteret in primis designare tempus (hodie, cras, heri), postea censum agere omnium hominum, deinde rationarium extruere, denique sententiam proferre. Quanta rerum et condicionum copia ! Tandem, si rationarium inspiceres, forsitan invenires nullum interesse hominem qui omnes Europae sermones noscat, neque indistincte, neque vivos !

Bolzanus aliud exemplum affert, conferens conceptum « coloris qui fabricari potest savia plantarum caerulearum » cum repraesentatione « caerulei », qui est pars eius notionis. Putat enim repraesentationem coloris qui parari potest savia plantarum caerulearum non modo maiore pollere comprehensione quam conceptum caerulei, sed ampliore quoque extensione — contra canonem de quo agebatur — nam non solum fabricari potest ex savia plantarum caerulearum color caeruleus, sed etiam alii colores (ex. gr. ruber aut viridis). Menneus in idem redit, et exemplum statuit comparatis conceptibus « coloris viridis » et « colorum ex plantis viridibus obtentorum ».

Verum enim vero, in hoc etiam exemplo item ab illustribus his scriptoribus dissentire cogor : exemplum dico, tot difficultatibus circumventum quot praecedens. Profecto in eo distinctio complexorum et incomplexorum desideratur. Attamen, conceptus complexi non aequè tractari possunt ac si simplices essent. In illo quidem exemplo non comparatur aliquis color alicui alio coloris, sed aliquis color alicui concreto accidentali, quod est rerum diversorum generum complexum ; comparatur nimirum color ut qualitas cum pigmento ut substantia plurimis accidentibus praedita.

Sed difficilius etiam est exemplum non recusare, si extensionem utriusque conceptus comprobare velis ut scias nempe an color caeruleus sit repraesentatio amplioris applicationis quam color fabricatus ex savia plantarum caerulearum. Nam via ad subiecta comperienda, ad quae repraesentatio possit applicari, nulla

alia est nisi experientia, qua, si iter quoddam inieris, numquam ad finem pervenies : adeo fluctuantes sunt circumstantiae loci et temporis, fabrorum et emptorum in mercatura mundi !

Menneius aliud exemplum propria Minerva invenit, acutius mehercule et clarius quam cetera. Confert enim hosce duos conceptus, scilicet : « telam ex lana » et « telam quae lanam habet ». Profecto tela ex lana notio est minoris comprehensionis quam tela quae lanam habet : posterior constat non solum ex lana, sed aliis filis (ex. gr. sparteis, sericis, lineis, etc.), quibus tela ex pura lana prorsum caret. Quaere nunc modo an huic comprehensionis augmento respondeat necne extensionis ampliatio. Utique, dices, nam in hodiernis civitatibus tela ex pluribus filis, naturalibus vel artificio compositis, multo plus abundat quam tela ex una lana, et saltem, rebus ut nunc se habentibus, facilius inventu et vilioris pretii est superior quam posterior.

Re quidem vera, concedendum est praesenti tempore exemplum a Menneio excogitatum recte vertere. Est enim ea exempli prolatio perfunctior, quia faciliori experientia verificatur extensio conceptuum qui in ea comparantur. Perfacile enim comperitur hodie ex sodalitatum artificum testimonio, et ex hominibus lanificio addictis, verum statum bonorum quae usu consumuntur.

Sed eadem difficultas redit : extensionem conceptuum esse proprietatem logicam quae tantum potest determinari experientia rerum singularium. Attamen extensio, utpote proprietas logica, cognoscibilis est *a priori*. Cognita comprehensione, simul habetur cognitio sphaerae ad quam ea comprehensio, ut complexio notarum obiecti, potest applicari. Extensio omnino a comprehensione pendet, ab eaque determinari *a priori* debet. Exemplum a Menneio excogitatum mihi prorsum satisfaceret si comprehensio conceptus qui sonat « tela ex una lana » ex se et natura sua postularet minorem sphaeram applicationis quam conceptus qui audit « tela quae quandam habet lanam ». At non est ita tamen. Uterque conceptus, utpote artificialis et compositus notis inter se minime necessario cohaerentibus, carent mensura sibi constanti, per quam nati sint pluribus aut paucioribus subiectis inesse.

Sententia Bolzani, nunc temporis Menneio placens, innititur alii omnino notioni comprehensionis et extensionis, quam illa quam magni viri, non tantummodo auctores *Artis Cogitandi*, sed ipse quippe Aristoteles, necnon Thomas Aquinas, Kant, Schopenhauer, aliique magistri permulti professi sunt.

Nec satis. Bolzanus ad unius se auctoritatem contulit, Kantii videlicet, contendens distinctionem iudiciorum analyticorum et syntheticorum pro sua sententia militare. Sed perperam auctoritatem tanti viri hac in re adhibetur. Kant enim ne suspicari quidem potuit doctrinam de distinctione inter iudicia analytica et synthetica labefactare rationem de qua nunc agimus, quae itidem in philosophia eius rationali primas tenet. Nam in opere Kantii, quod *Logica* inscribitur, a Jäscheio auditore anno 1800 divulgato, in quo doctrina magistri iam summam maturitatem assecuta est, magnus ille philosophus principium de relatione inversa inter comprehensionem et extensionem dissertis verbis profitetur : « Comprehensio et ex-

tensio alicuius conceptus inverso modo se habent. Quo maius nempe aliquis conceptus continet *sub se*, eo minus continet *in se*, et e contra ».⁷

Sed quid plura? Nisi me multum res fallit, in hac quaestione duae circa comprehensionem et extensionem doctrinae sese adversantur, differentes prorsum. Sed eae diversae doctrinae, utpote ad conceptus generales spectantes, totum campum Logices attingunt, ita ut maximi sit momenti eas accurate exponere iuxta uniuscuiusque philosophiae placita. Igitur non satis partitio huius disciplinae in logicam enuntiationum, praedicatorum, classium, relationum intelligere possumus nisi huius distinctionis ope. Unde iam vides in decursu huius commentarioli nos progressos esse adeo ut regressuri simus ad terminum a quo profecti sumus: theorematibus enim philosophicis omnino resecatis fieri non potest ut Logica disciplina rite tractetur et evolvatur.

⁷ KANT, *Logik*, I, 1, 7: « Inhalt und Umfang eines Begriffes stehen gegen einander in umgekehrtem Verhältnisse. Je mehr nämlich ein Begriff *unter* sich enthält, desto weniger enthält er *in* sich und umgekehrt ».